



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. IILITTERAE APOSTOLICAE*INTER APOSTOLICAM* **TEMPLO PAROECIALI
SANCTUARIO SANCTORUM MARTYRUM UGANDENSIVM**

**KAMPALAE IN LOCO «NAMUGONGO» NUNCUPATO EXSTANTI ET A SUMMO
PONTIFICE PER APOSTOLICAM VISITATIONEM IN UGANDA DIE VII MENSIS
FEBRUARII HOC ANNO IN BASILICARUM MINORUM NUMERO MOTU PROPRIO**

ADSCRIPTO, SUETA IURA ATQUE LITURGICAS CONCESSIONES TRIBUUNTUR Ad perpetuam rei memoriam. –
Inter Apostolicam Nostram Visitationem in Uganda hoc anno die VII mensis Februarii libentes sane excepimus preces,
quas Venerabilis Frater Emmanuel Wamala, Archiepiscopus Metropolita Kampalaënsis atque Praeses Coetus
Episcoporum eius Nationis, nomine quoque cleri populique sui Nobis porrexit, atque templum paroeciale sanctuarium
Sanctorum Martyrum Ugandensium, quod Kampalae in loco «Namugongo» nuncupato exstat, motu proprio titulo ac
dignitate Basilicas Minoris decoravimus: clara enim est ecclesia, aedificata illic ubi die III mensis Iunii anno
MDCCCLXXXVI Sanctus Carolus Lwanga passus est martyrium et ad quam Ugandenses Christifideles frequentes
accedunt pia meditatione recolentes gloriosam eorundem Martyrum passionem, ex qua ii haud paucas hauriunt vires ad
testificandam catholicam fidem sua ipsorum cotidiana vita et moribus. Nunc vero rata omnino habentes quae
Congregatio de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, factis a Nobis facultatibus, statuit, Apostolica auctoritate usi
sacrum aedificium, de quo supra facta est mentio idemque in Basilicarum Minorum numero adscriptum, omnibus iuribus
ac liturgicis concessionibus, quae ecclesiis hoc nomine insignitis rite competunt, exornamus, iis tamen servatis, quae
secundum Decretum «De titulo Basilicae Minoris» die IX mensis Novembris anno MCMLXXXIX editum, sunt servanda.
Has denique Litteras sive nunc sive in posterum ratas esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus. *Datum
Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXVIII mensis Aprilis, anno MCMXCIII, Pontificatus Nostri
decimo quinto.* ANGELUS card. SODANO

Secretarius Status © Copyright 1993 - Libreria Editrice Vaticana
